



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Ad Eandem Hymnvs, Salve regina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Sæpe illum stolido vecordes lædimus ausu,
 Tendimus insanas ad mala sæpe manus.
 Hinc sufferre graues pœnas, & dira meremur
 Supplicia, erratis si dare digna velit:
 Sed precibus flexus posita miserebitur ira,
 Et veniam lapsis, tu modò posce, dabit.
 Te siquidem dura non auersabitur aure,
 Audiet oblatas à genitrice preces.
 Effice vt exilij post tristia tempora nostri,
 Quæsitox veniens crimina nulla notet.
 Ac penitus culpa vacuos, omnique reatu
 In sua nos placido numine regna vehat.

AD EANDEM HYMNVS,

Salve regina.

O Regina piæ bonitatis maxima, Salue,
 Vita, mel, & nostræ fons & origo spei.
 Nos te sollicito miseri clamore vocamus,
 Quos patriæ extorres protulit Eua parens.
 Anxia cum lacrymis ad te suspiria pressi,
 Tollimus è plenis fletibus hisce locis.
 Quæso igitur Patrona tuos miserata clientes
 Respice, ferque oculos ad mala nostra pios.
 Exiliique huius fac nos post tempus IESVM
 Sancti vteri fructum cernere posse tui.
 O clemens, ô virgo pia, & dulcedine plena,
 O MARIA intacti gloria prima chori.
 Po s t partum sacra virgo tibi inuiolata remansit
 Virginitas, damno nec peperisse fuit.
 Alma Dei genitrix, iras auertere Nati
 A nobis precibus nitere quæso tui.
 VIRGO quæ partu nunquam temerata fuisti,
 Nos prece apud Natum tende iuuare tuum.

E x